

I. N. S. S. T.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

De

ECLIPSIBUS

Quam cum consensu

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ

IN

Regia Fennorum quæ Aboæ est, universitate

PRÆSIDÆ

VIRO PRÆCLARISSIMO

M. JOHANNE FLACH-  
SENIO, Mathem. Professore  
Ordinario, & Facult. Phi-  
losoph. Decano.

Pro gradu Magisterij obtinendo, pla-  
cido bonorum examini submituit

JONAS P. PETREIUS

In Auditorio superiori majori

Ad diem 4. Maij Anni M D C LXXII.  
horis ab 8. consuetis.

A B O A E,

Excusa à PETRO HANSONIO.

*Reverendissimo in Christo Patri ac Dominis  
Dn. JOHANNI GEZELIO,  
S. S. Theol. Doct. celeberrimo, Episcopo Dioeceseos Aboënsis longè gravissimo, Regiae Academiz, quæ Aboæ est, Procancelario amplissimo, Consistorijq; Ecclesiastici ibidem  
Præsidi æquissimo, Mæcenati ac Patrono magno,  
summo honore ac reverentiâ pers  
petim prosequendo.*

*Pl. Reverendo ac Praeclarissimo Viro,  
Dn. M. MARTINO MILTOPÆO,  
Regiae Aboensis Academæ Rectori Magnifico, ibidemq; Professori Floq. longè dignissimo, ac ita  
pijissimæ Pastoris meritissimo, Præceptori ac Promotori quovis honoris cultu de venerando.*

NEC NON

*Maxime Reverendis & Exeellentissimis Viris;  
Dn. ENEVALDO SVENONIO,  
S.S. Th.D. Ejusdemq; in Acad. Aboënsi Professori primario celeberrimo, Ecclesiarum Aboensium & Nummensis Pastori gravissimo.  
Consistorijq; Seniori.*

*Dn. PETRO Bång/ S.S. Th. Doct.  
inq; Acad. Ab. ejusdem Profess. celeberrimo, & Pastori in Råndåmåli fidelissimo.*

*Dn. NICOLAO TU NANDRO,  
S. S. Theol. Professori accuratissimo,  
ac Pastori in Lund dignissimo.*

*Patronis, Promotoribus ac Fautoribus de-  
vota ac submissa mente semper colendis  
Salutem & obsequia.*

**Q**uod devota animi subjectione jam offero ingenij mei qualemque specimen, nominibus Vestrīs, Reverendissime DOMINE, Magnifice Dn. RECTOR, Maxime Reverendi S Amplissimi DOMINI, quod inscribere sustineam, audacie ac temeritatis notam mereri pro venia plane existimari posset, nisi mihi hoc jam pridem imperarent illa vestra longè maxima beneficia; concederet singularis vester favor S benevolentia; quibus S Ego & tota mea domus paterna vobis ad quævis officiorum genera præstanda devinctis tenemur. Vereor quidem ut videar circumspicere satis publicarum curiarum veniarum, quæ vobis magis magisque indies accrescunt, habere rationem, quod vos ab illis ad hoc valde exiguum academicum exercitium adspiciendum importunè avocem. Verum cum hoc saltim sit testis debiti mek in vos cultus humilimæque, observantiae, si quidem deberem tandem de aliquo gratitudo dinis signo cogitare, quo devotam ac submissam mentem meam vobis irem monstratum, non dubitavi hæc audere confusaque vestro favori, quo non minus me ac Parentes meos benignè prosequi dignati estis, non porui induci ut crederem hæc aliter quam pia & venerabunda simplicitatis nomine acceptum.

ari. Paucæ quoq; licet hæ sint pagine,  
non satis negotium, quod cœperant, absolu-  
entes, ac propterea magnorum virorum  
conspectu indignæ, accedit tamen iis, ut  
ſpero, vestro favore ea fiducia, quod audie-  
ant ſe oculis vestris ſiſtere. Quapropter,  
ut id mihi indubitanter habeo persuafum  
vos eum, quo me huc usq; complexi fuſtis,  
favorem mibi in posterum conservaturos,  
post Deum enim in Vos eam certam ſpem  
colloco, me olim veftro patrocinio, adfun-  
ctionem vita generi, quod elegi, conveni-  
entem promoveri posse, ita id hac occasione  
unicè oro, ut, quo in ſtudia eſſe conſuevi-  
ſtis, affectu, hoc mea devotiffimæ mentis exi-  
guum quidem, ſed certum pignus, hunc  
humiliimi mei in Vos obsequij obſidem ac-  
cipere non dedignemini. Adſit Vobis Deus  
ſua ex alto gratiâ, ſemperq; fælices flore-  
re ac Patriæ, familiis veftris Vobisq; ipſis &  
veſtris Clientibus diu ſuperftites vivere jube-  
at. Ita calido ex pectore optat

Reverendissimæ Tuæ Dignitatis  
Magnificentiae Tuæ &  
Maximè Reverend. Vest. Dignitatis

Devotissimus & humili-  
mus cliens

JONAS PETREJUS.

PRÆFATIO

**M**agnam vim syderum in hæc  
inferiora ac corpora mixta esse  
nemo sanus facile sustinebit diffi-  
teri, qui id negaret, non minus ignorantiam  
quam pervicaciam suam turpiter mihi vide-  
tur prodere. Ab hoc mortalium commercio  
utut remotissima sunt Astra, singularem  
tamen eorum virtutem sentimus. Pro vario  
suo positu varias temporum variasq; gene-  
rationum & corruptionum vicissitudines  
infert Sol; Heliotropium omnibus horis  
cum Sole converti mirum est. Humores  
crescente Lunâ augeri, decrescente minui  
quis ignorat? In cancris, ostreis, conchy-  
leis experientiam habemus testem, his ple-  
nilunio uberior est succus. Ligna in ple-  
nilunio cæsa, ædium fabricationi propter  
humoris abundantiam minus commoda es-  
se videmus, contrâ in lunæ decremento  
dissecta, aptissima. Unde Cic. lib. 2. de  
Nat. Deorum: *Multa à Luna manant &*  
*fluunt, quibus & animantes alantur auge-*  
*scantq; & pubescant maturitatemq; asse-*  
*quuntur, que oriuntur à terra.* Præte-

rea in propriis quoq; nostris corporibus non  
rarò experimur mutationes, quas diversus  
ille infert cœli influxus, jam enim malo-  
rum nebulis quasi discussis frontem porri-  
gimus, jam vero eandem spissis ægritudi-  
num maculis obfuscati corrugamus. Ex  
quibus præter alia innumera, quemadmo-  
dum patet astrorum vim magnam esse, ita  
siccitates aut pluvias, tempestates, ventos,  
sterilitates, annonæ caritatem &c. ex ijs  
probabilitè posse præmoneri, credimus.  
Varia insuper Astrorum in hæc inferiora  
effecta varios etiam eorum arguunt in cœlo  
motus. Aliis enim stellis alios indidit Deus  
motus ut afficerent variè hæc inferiora.  
Id vel evincunt *Φαινόμενα* illa manifesta,  
quæ visui ita exponuntur ut ab omnibus  
etiam sine solerti observatione cernantur,  
qualia sunt temporum vicissitudines, alter-  
natim crescentia & decrescentia dierum &  
noctium spatia, certa loca ortus & occasus  
Solis in cardine utroq; Horizontis orien-  
tali & occidentali; Variæ Effigies seu phases  
Lunæ; Veneris nunc exort⁹ ante Solem matu-  
tinus, nunc splendor vespertinus, aliaq; ejus-  
modi solo oculorum sensu cognoscibilia. Ob-  
hunc quoq; varium motum diversæ accidunt  
stellis passiones, hinc Planetarum jam in hoc  
jam aliud signum vel cœli domum cursus,

inde sunt earum conjunctiones & oppositi-  
ones, ob quas non raro contingit lumen  
earum nobis terræ incolis intercipi, quò mi-  
nus eo frui possimus, unde *εκλείπει* seu de-  
linquere quasi videntur. At cum in hoc  
argumento, quod est de Solis ac Lunæ E-  
clipsibus ingenij mei vires periclitari jam  
constitueram, paucisq; id, quod à me in  
hanc rem adferri potest, speciminis edendi  
gratiâ comprehendere, proprius me ad pro-  
positum conferam. Te interim *benevolē*  
*Lector* humilimè & officiosè rogo ut mihi  
adsis benigno animo. Non è accuratione ac  
tam plenè esse tractatam perpolitamq; hanc  
materiam, quin plura adhuc præclariora ad-  
ferri possint, ingenuè fateor. Veniam er-  
go brevitati & his, quæ posita sunt, dabis.

Quoniam putaveram ad dilucidatio-  
nem hujus materiæ plurimum facere, si  
præmitterem perbrevem motuum Solis Lu-  
næq; considerationem, quò via pararetur  
mihi facilior, explicatis quibusdam termi-  
nis, Eclipsum indagandi naturam, in tria  
membra hoc qualemq; exercitium dispe-  
scere volui, quorum primum terminorum  
aliquorum explicationem suppeditabit, re-  
liqua duo ipsius argumenti enodabunt tra-  
ctatum. Faveat Deus cunctipotens conati-  
bus meis, qui ut in ipsius laudem & glori-  
am cedant devotè opto.

## De motibus Solis &amp; Lunæ.

## §. I.

**S**olis motus est vel *diurnus* vel *annuus*, hic proprius, ille communis appellatur. Patet quippe experientia sensuum Solem suo *motu diurno* verè ac propriè circa terram moveri ab oriente per meridiem in occidentem indeq; per medium noctem in orientem reverti. Licet hic motus Solis est continuus & uniformis, quod ex umbris corporum altitudinibusq; Solis uniformiter crescentibus & decrescentibus patet, tamen non est perfectè circularis sed spiralis sphæricus; nam non semper oritur & occidit Sol in iisdem punctis horizontis: nec semper transit per eadem meridiani puncta ut manifestum est.

§. II. *Annus* *Solis motus* annuo spatio absolvitur; Transit siquidem Sol hoc suo motu ab occidente in orientem progrediendo infra 12, asterismos Zodiaci viâ obliquâ respectu æquatoris, quia modò ad verticem nostrum polumq; conspicuum accedit, modò ab eo ad oppositum mundi polum recedit. Sed extra tropicorum metas nunquam egreditur; postquam enim die solstitij æstivi tropicum cancri æquatori parallelum accesserat, inde cursum flectit con-vertendo

vertendo se per alias spiras ad austrum, atque  
quatoremque transgressus, signum capricor-  
ni postquam incurrerat, describit alterum  
tropicum scilicet capricorni, fitque tum sol-  
stitium hybernum, declinat itaque; Sol ver-  
sus utrumque polum ab aequatore nunquam  
ultra 23*1*<sup>2</sup> grad. ferè, ut id habent Astrono-  
mi observatum. *Hic recessus Solis utrimque*  
*ab aequatore sub ecliptica vocatur declina-*  
*tio solis, maxima autem declinatio est re-*  
*cessus usque ad tropicos.* Fit etiam hic Solis  
motus continuo sub Ecliptica, unde appelle-  
latur motus Solis in longitudinem, quia sic  
semper secundum longitudinem Zodiaci,  
quandoquidem extra eclipticam nunquam  
evagatur ut alii planetæ, qui etiam habent  
motum in latitudinem.

§. III. Non minus Astronomi quam Phy-  
sici supponunt quidem motum Solis in cæ-  
lo proprium uniformem & aequalem esse ac  
æqualibus temporibus eum aequalem cur-  
sum absolvere, unde etiam hic motus pro-  
ut nos è terrâ eum observamus, verus simul  
& apparens appellatur, est tamen hic motus  
inæqualis & difformis, dum æqualibus tem-  
poribus inæquales arcus de Zodiaco absu-  
mat, quod manifestum est ex temporum  
intervallis, quibus Sol percurrit diversos  
semicirculos variisque quadrantes elipticæ.  
Pater enim ex observatione æquinoctiorum

Solem in semicirculo boreali seu ab initio  
V per ☽ ad initium ☾ morari diebus  
186. aut 187. at in semicirculo australi ab  
☽ per ☽ ad initium V diebus saltem 178.  
aut 179. Hinc in calendariis à 10. Martij  
ad 13. Septembris numerantur dies 187. à 13  
vero Septembris usq; ad 10. Martij tantum  
dies 178.

§. iv. Orbita, quam hoc suo proprio  
motu Sol percurrit, est excentrica eamq;  
conficit dieb. 365. hor. 5. min. 49. &c. ferè.  
Locum Apogæi talis eccentrici inquirere  
solent Astronomi. Ptolomæus eum inven-  
nit esse sub grad 5 $\frac{1}{2}$  Geminorum. At curam  
eius Rei relinquimus Astronomis, solorum  
terminorum explicatione hac vice contenti.  
*Eccentricus circulus planetarum est circulus,*  
*cujus centrum est extra mundi & zodiaci*  
*centrum.* Distantia inter centrum mundi  
& centrum excentrici dicitur excentricitas  
planetæ. Punctum apogæum seu summus  
apex eccentrici, in quo planeta maximè à  
centro terræ distat, vocatur *Aux* seu *sum-  
ma Absis.* Punctum perigæum, infima  
eccentrici pars in qua planeta terræ est pro-  
pinquissimus dicitur *Ima Absis.* Progressio  
seu motus planetæ in eccentrico & sub Ecli-  
ptica dicitur *motus in longitudinem h. e.*  
*secundum successionem signorum, seu motus*  
*in consequentia.* Hic motus, si ad excen-  
tricum

tricūm referatur, æqualis ordinatus ac regularis esse supponitur: Si ad eclipticam est talis qualis apparet, inæqualis scilicet, hanc ob causam dicitur simul verus & apparentis. Tantum de motu Solis.

§. v. Non minus quam Sol spiruliter, motu omnibus sideribus communi ab oriente in occidentem movetur Luna, mutat enim quotidiè puncta ortus & occasus altitudinesq; meridianas. Suum motum diurnum absolvit Luna spatio majori quam 24 hor. oritur enim singulis diebus aut noctibus unā horā fermè tardius, tardiusq; meridianum cujusq; loci attingit. Sic sidus quoddam fixum transiens meridianum cum Lunā hāc nocte hora 1. ante meridiem, eam post sequenti nocte relinquet circiter grad. 13.10.m. 35.<sup>11</sup> quibus respondent 48. min. temporis. Hic motus Lunæ per se competit vocaturq; *motus raptus seu diurnus*.

§. v. Habet etiam Luna motum sibi proprium ab occidente in orientem, continuò enim à Sole cœterisq; stellis discedit versus partes orientales juxta seriem signorum, donec Soli è diametro opponatur, ruriusq; ad solem accedit, donec eum assequatur. Non est realiter à priori hic motus distinctus, retardatur saltē per hunc motum Luna, nam 48. min. ferè tardius revertitur Luna ad eundem meridianum

aut horizontem quam cœteræ stellæ. Absolvit Luna hunc motum fere intra spatiū unius mensis, *hinc menstruus dicitur*.


S. vii. Hic motus non sit directè sub ecliptica sicut Solis; Quemadmodum sol bis singulis annis interlecat æquatorem: Ita Luna bis quolibet mense in duobus diametraliter oppositis punctis. Circulus ille, quem Luna spatio mensis, respectu eclipticæ obliquum sic describit, orbita Lunæ dicitur, hujus una medietas declinat ab ecliptica versus polum arcticum, altera versus antarcticum, quæ declinatio motus Lunæ in Latitudinem appellatur, quemadmodum motus in eadem orbita juxta successionem signorum est motus in longitudinem. Puncta intersectionis eclipticæ etiam puncta ecliptica dicta, eò quod in ipsis aut non ab illis procul ob oppositionem aut conjunctionem luminarium fiat eclipsis, dicuntur etiam Nodi, quorum borealis, quem Luna relinquens ascendit versus signa borealia, caput Draconis vocatur notaturq; hoc signo ♈, alter australis, à quo Luna versus signa australia descendit, cauda nuncupatur Draconis exprimiturq; hoc signo ♎. Ubi notandum hoc suo menstruo motu Lunam non secare eclipticam semper in iisdem locis sed contra signorum seriem retrahi has intersectiones in signa anteriora, ut si hodiè sint in

¶ & p post aliquod tempus futuræ sunt  
in II & X, hinc est quod eclipses non sem-  
per contingant in ijsdem locis Zodiaci, sem-  
per tamen in locis occidentalioribus, at  
nunquam nisi ad dictos nodos. Præterea  
docent Astronomi nec orbitam Lunæ terræ  
concentricam esse sed excentricam, procedit  
enim Luna sub Zodiaco inæqualiter, cele-  
rius scil. & tardius: inæqualiter quoq; à ter-  
râ distat, nunc magis nunc minus; Quo-  
circa in apogeo constituta Luna tardius &  
remotius à terra incedit: in perigao vero  
velocius & propius terra.

§. ix. Convenit hic paucis attingere va-  
rias phases, quas Luna à Sole discedens, dum  
Zodiacum peragrat, induit. Lumen Lunæ  
adeo tenue & debile est, ut, nisi à Sole adju-  
tum & auxilium, ad nos deferri nequeat.  
Pro vario ergo Lunæ ad Solem adipicere  
accessuq; ad eum & recessu, diversis cerni-  
tur figuris, sic ut quæ Lunæ pars radiis  
Solis illustratur, sit lucidissima, eoq; si m-  
pèr magis, quò à Sole longius facessit. Al-  
tera vero, radiis Solis destituta, sit obscu-  
rior. Corpus itaq; Lunæ propter rotun-  
ditatem suam globosum, cum non undi-  
quaq; sed medietate tantum solem opposi-  
tum respiciente illuminetur, sit ut nobis  
non uno modo conspiciendum se præbeat.

Ex opposito  
schemate patet  
quomodo in &  
tota Lunæ me-  
dictas Solem  
aspiciens nobis  
occultatur, de-  
inde apparere  
incipit paula-  
tim cornicula-  
ta, mox semi-  
plena seu bise-  
cta; cum gib-  
bosa; tandem  
in & plena,  
totum enim id,  
quod in Luna  
apparet, lumi-  
nosum tum  
cernitur, faci-  
es enim ejus  
nobis obveria,  
eadem & Soli  
tum diametra-  
liter opposita,  
radiis Solis il-  
lustratur.

Tantum de motibus Solis ac Lunæ, termi-  
norumq; explicatione.



De *Eclipsi* in genere & de *Solis*  
in Specie.

§. I. Ut initium fiat ab expositione vo-  
cis *Eclipses*, derivatur illa à verbo ἔκλείπω,  
quod delinquo, languesco & deficio; i-  
tem magis propriè relinquo & desero signi-  
ficat, inde ἔκλειψις defectus, item omisso,  
quæ sit in oratione, teste Scapula. Unde *Ecli-  
psis Stellarum* idem est ac deliquium seu defec-  
tio luminis aut revera in ipsis stellis, seu so-  
lum respectu nostri, ad quos lumen opaco ali-  
quo corpore interceptum, transmitti non po-  
test. Et quamvis in omnibus planetis & stellis  
locum habere possint eclipses sive revera, sive  
quoad nos, præcipue tamen dantur in Lu-  
na & Sole. Licet minus aptè *Soli* tribui  
possit vox *eclipses* quod ille nullam sui lu-  
minis mutationem patiatur; sed tantum re-  
spectu nostri visus obscuretur, Luna se ex-  
motuum lege ingerente inter solem & ob-  
tutum nostrum, usus tamen obtinuit ut de-  
utroq; hoc luminari *eclipsi* dicatur, & quo-  
niam nos terræ incolæ utriusq; lumine de-  
stituimur, & nec minus Sol quam luna no-  
bis suo lumine appareat privari, etiam nos  
sano sensu eandem vocem retainemus.

§. II. Diversimodè cum causentur *eclipses*  
& propterea in genere haud accurate defi-

niri queant, tali tamen descriptione hanc  
luminarium passionem possumus aliquo mo-  
do exprimere; quod sit *luminis Solis & Lunæ*  
*per corporis opaci interpositionem facta in-*  
*terceptio, quo minus à nobis terræ incolis*  
*conspici possit.* Naturam eclipsium propri-  
am & genuinam, seu omnia ferè ad hanc  
doctrinam pertinentia, paucis his verbis  
comprehendit Plinius, lib. 2. cap. 10. *Ma-*  
*nifestum est Solem interventu Lunæ occultari;*  
*Lunamq; terræ objectu ac vices reddi, eosdem*  
*Solis radios Lunâ interpositu suo auferente ter-*  
*ræ terrâq; lunæ.* &c. Arguit ergo scitè his ver-  
bis Plini⁹ necessariò tūm Eclipses inferri, cum  
tria hæc corpora *Sol Luna & Terra* yel dia-  
metraliter; vel aliqua sui parte in una re-  
ctâ lineâ sunt constituta; terram scilicet  
& Lunam statis temporibus solis radios si-  
bi invicem elidere lumenq; adimere. Vi-  
ces ergo redduntur, dum eosdem Solis ra-  
dios hic terra Lunæ aufert, quos antea Lu-  
nâ interpositu suo terræ abstulit, quando  
scilicet *Sol*, qui per se nihil patitur, hac ra-  
tione mortalibus occultatur.

§. III. Antequam penitiorem ipsius ma-  
teriæ declarationem aggredimur, lubet re-  
censere saltēm eas hypotheses, quas Astro-  
nomi in hujus rei manifestiorem rationem  
præsupponere & suis observationibus, argu-  
mentis instrumentisq; mathematicis demon-  
strare

ſtare ſolent. Scil. 1. Solem eſſe majorem  
terrā & lunā, & terram majorem eſſe lunā.  
2. Solem & Lunam longius à nobis diſtare,  
multoq; majora eſſe, quam appareant: Nec  
non Lunam eſſe terraे vicinorem quam So-  
lem & per conſeq. Lunam inter Solem &  
terram medianam eſſe, cum ſunt coniuncti hi  
planetæ. 3. Terram eò quod minor ſit Sole  
& ſphærica; proiecere umbram conoidalem  
in oppositam Lumini partem. Terra enim  
opaca radiorum penetrationem prohibens,  
ſpatium Lumine privatum ſeu obſcurum poſt  
ſe relinquit: Hæc obſcuritas umbra appelle-  
latur, qua Luna involuta ſolis lumine pri-  
vatur; Umbra autem, quia ſui corporis  
figuram motumq; ſequatur; ſphærica ut  
ſit neceſſe eſt. At cum Sol corpus ſphærī-  
cum majus, terram ſphærā minorem plus  
quam dimidiā parte illuminet, oportet ra-  
dios ſolis tandem in uno puncto coite um-  
bramq; in mucronis formam deſinere. Quæ  
umbra, ſole apogæo, eſt longior & crassior;  
perigæo, brevior & gracilior. 4. His ad-  
dimus & hoc præſuppoſitum, Lunam eſſe  
opacum corpus lumineq; non proprio; ſed à  
Sole mutuariſio lucere; in coniunctione lunæ  
cum ſole pars ejus illuminata aut regerit  
totum Lumen in Solem, aut non tota à  
nobis conficitur pro vario lunæ ad Solem  
& terram ſiru, ut patet ex ſupra dictis.


§. IV. Dicatum est supra eclipsin in reliquois planetis posse contingere, sed nunquam, quod notandum, eo modo, quo sunt eclipses Lunæ; Ratio est, quia umbra terrestris altius quam ad Veneris & mercurii spheras nunquam ascendit, ut id Ptolemaeus ostendit lib. 5. cap. 15. μεγ. οὐτ, Nec est negandum stellas fixas à planetis, superiores quoq; horum ab inferioribus interdum abscondi; Sed cum hæ occultationes neq; lucem notabiliter terræ adimere: nec facile à quovis animadverti possint, nos de iis propterea non solliciti, de eclipsibus etiam vulgo notis jàm acturi, duplices tantum facimus eclipses, Solares, quæ interdiu & Lunares, quæ noctu contingere solent.

§. V. Eclipse Solis est aversio radiorum solarium à certa aliqua parte terre, que contingit ob visibilim Solis & Lunæ conjunctionē.

§. VI. In Eclipse Solis itaq; lumine suo Sol non privatur; sed terra destituitur lumine Solis. Cum enim lux, quæ in lunari corpore alias opaco & lucis experite conspicitur, tota à Sole sit, contingit in visibili coniunctione luminarium sub ecliptica Lunam infernè Solem subeuntem, terræq; suam opacam faciem obversantem. tantum adspexit nostro de Sole ac proinde omni luce adimere quantum visibilis magnitudo ejus in rectâ linea visuali permittit. Fit

eclipsis

*Eclipsis hæc solaris; non in coniunctione  
vera aut media, sed visibili, tantum, quod  
fit, quando lineæ apparentium motuum ex  
visu in superficie terræ degentium per lumi-  
narium corpora ductæ in eundem locum zo-  
daci cadunt. Media coniunctio nobis non  
apparet, licet ejus tempus in calculo primò  
investigetur, hæc enim fieri potest corporibus  
planetarum adhuc multum distantibus. Neq;  
vera in nostros incurrit oculos, hæc enim  
luminaria copulantur per rectam lineam  
ex centro mundi per centra luminarium e-  
ductam, nos vero in superficie terræ sumus  
constituti, ratio est quia Sol suo lumine  
non privatur; Sed Luna posita inter solem  
& visum nostrum impedit, ut dictum est,  
radiorum Solis ad nos traectionem. Hinc  
fit quod non eodem tempore nec ubiq; lo-  
corum: nec eadem ubiq; quantitate con-  
spiciantur *eclipses solares*, ut cum lumen  
Solis aliis sit restitutum aliis  
obscurarī incipiat. Sic in ap-  
posito schemate habitanti in  
loco, A, Sol totaliter obsecu-  
ratur, in b vero stanti totus  
lucet, luna tamen progressa  
ex loco, ubi nunc conspicitur,  
in b constituto radios solis vi-  
cissim intercipit, altero in A  
liberum ejus aspectum obti-  
nente.*



mente. Causa est exiguae magnitudo Lunæ  
& brevis ejusdem remansio à terra respectu  
Solis: Item terre major & solis maxima  
quantitas. Propter motum quoq; Lunæ  
ab occasu in ortum occidentalibus Sol pri-  
us obscuratur, posterius orientalibus. Nun-  
quam tamen Solis lumen à toto hemisphæ-  
rio averti potest; nam eo tantum in spatio  
terræ contingit eclipsis solaris, quod um-  
bra Lunæ, versus terram, non illuminatæ  
involvit, quod 70. milliaria non excedit.  
Nec obstat, quod corpus Lunæ ob suam  
parvitatem solem nobis occultare nequeat.  
Sicut enim lance, disco aut manu oculis  
proprius admotâ montem maximum aut  
ædificium oculis usurpare non possumus;  
Ita parva & vicina luna solem maximum &  
remotiorem in deliquio solari nobis obtegit.

§. vii. Non in singulis noviluniis seu &  
contingunt hæ solares obscurations; rari-  
us enim juxta binas illas intersectiones viæ  
Lunæ cum Eclipticâ seu circa nodos fiunt  
Solis Lunæq; directæ syzygiæ seu conjunc-  
tiones. *Ecliptica* ergo erit hæc conjunctio,  
si Soli aliquid deliquii accidet, quod tum  
Solum sit quando latitudo Lunæ visibilis  
vel nulla fuerit vel exigua, nam si quan-  
titas semidiametrorum visibilium solis &  
Lunæ latitudine apparente superata fuerit,  
seu, quod idem est, si distantia Lunæ ab  
*ecliptica*

ecliptica in conjunctione non minor fuerit  
aggregato diametrotum solis lunæq; nulla  
solis obscuratio expectanda. Hinc Artifi-  
ces prope nodos certos terminos invenerunt,  
quos vocant *eclipticos*, ultra hos si latitudo  
Lunæ se extendat, non fit eclipsis solis. Va-  
rii sunt quoq; hi termini ecliptici pro di-  
versitate zonarum & plagarum mundi,  
nullibi tamen excedunt versus nod. borea-  
lem grad. 20. & versus australem grad. II.

§ IX. Ex supra dictis patet solarem e-  
clipsin naturaliter non posse esse universa-  
lem, nam à certa tantum terræ parte avertun-  
tur ob hanc directam eclipticam conjunc-  
tionem radii Solis. Est tamen hæc eclipsis  
duplex *totalis* & hæc quidem sine morâ, ac  
*partialis*, illa fit cum latitudinem luna nul-  
lam habens in  $\odot$  vel  $\odot$  existit; hæc vero,  
cum aliquam habet Luna distantiam ab e-  
cliptica, quæ tanto tamen minor est, quan-  
to propior fuerit summæ semidiametrorum.  
Causa quoq; hujus varietatis est *inæqualis*  
*luminarium distantia à terrâ*; Luna enim  
nobis propior magis tegit de sole, quam  
si remotior sit: nec non *inæqualis motus lu-  
nae tam verus quam prout ob mutationem*  
*parallecos nobis appetet*, velocior enim bre-  
viorem; tardior autem motus lunæ longio-  
rem facit eclipsin Solis. Totalis eclipsis So-  
lis licet rarissima sit, eam tamen conti-

gisse non est dubium & quidem tam hortib  
liter, ut non modò medio die stellæ in cœlo  
fulserint sed & volucres caligine insuetâ  
oppressæ è sublimi in terram deciderint.  
Talem Anno 1515. 6. Jan. apparuisse legimus  
pud historiæ Polon. script. Math. Mecbovi-  
ensem. Item ante mortem Constantii talis  
visa est, ut restatur Ammianus Marcellinus  
lib. 20. Etiam ejusmodi totalem eclipsin  
præcessisse bellum Peloponesianum produnt  
histor. Græcorum. Ubi observandum posse  
in & extra eclipses alias quoq: causas dari  
prodigiosarum ejusmodi tenebrarum diur-  
narum, quales sunt vel densissimæ nubes,  
vel vis ingens cinerum ex crateribus mon-  
tium ardentium explosa &c.

§. ix. Principium eclipses solaris fit à  
parte Solis occidentali, hæc etiam primò  
restituitur, Luna enim ab occasu in ortum  
mota, hanc partem primò subit, primumq;  
iterum deserit. In partialibus eclipsibus  
Solis, si latitudo Lunæ est borealis Sol à  
boreâ deficit, si australis fuerit, à parte  
australi fit eclipsis; Lumen enim Solis in-  
tercipitur, prout Luna ultra vel circa e-  
clipticam versatur.

§. x. Quantitas eclipsium solarium æsti-  
matur digitis, qualium 12. diametro Solis  
tribuuntur. Plures quam 12. digitii Solis  
obscurari possunt, cum Luna est in perigæo  
&

& Sol in apogeo, sed cum sit eclipsis solaris cum mora exigua. Atq; haec tenus de Solis Eclipsi;

## MEMBRUM TERTIUM.

### De Eclipse Lunæ.

§. I. Eclipseis Lunæ est privatio luminis Lunæ a Sole mutuo accipiendi, quæ sit obiectum terre, in diametrali Solis & Lunæ oppositione.

§. II. Luna verè privatur lumine, dum eclipsatur; Terra enim inter utrumq; lumenare interjecta, umbrâ suâ lunam involvit impeditq; ne Solis radii eam illuminent, quod contingit in  $\infty$  seu plenilunio, quo Luna pleno orbe lucere deberet, quippe luna, quæ non proprio sed mutuatilio lumine fulget, in umbram telluris caliginosam a sole in aversam partem projectam & formatam in coni seu pyramidis figuram incurrit. Nam cum tota sphæra cœlestis radiis solaribus sempè collustretur, excepto illo spatio, quo terræ umbra porrigitur, hæc quoq; sui a terrâ expansione lunæ regionem longè excedat; propterea oportet lunam jam obtinentem punctum oppositi Solis sub eclipticâ, tamdiu orbari lumine solari, quo fruitur, dum transeat dictam umbram. Hinc clarum est non in omni  $\infty$  has contingere eclipses, sed tantum in

92, que diametralis est, Luna scil. versante  
aut in ipsa eclipticā aut prope eam, h. e.  
in punctis intersectionum sui circuiti cum e-  
cliptica. Ad latus enim eclipticæ ab illis  
nodis tempore plenilunii paulò longius e-  
vagata, umbrā terrestri i tūm evitatā, à de-  
fectu libera manet Luna.

§. iii Sunt autem eclipses Lunæ duplices  
*totales* & *partiales*, in illis tota luna, in his  
pars aliqua obscuratur, totales sunt aut  
cum motā in umbra terrestri aut sine motā:  
In partialibus aut medietas lunæ deficit aut  
plus minusq; medietate. Omnium totalium  
maxima est centralis, quæ sit, dum Luna  
nullam habet latitudinem, sed centro sui  
corporis occupat nodorum alterutrum. Cau-  
ſæ varietatis eclipsium lunæ quatror statui  
possunt. 1. *Inequalis Lunæ latitudo*, ma-  
jor enim ejus ab eclipticā distantia minuit  
eclipses has ratione durationis & quantitatis:  
minor vero auget. 2. *Inequalis umbræ ter-  
renæ crassities*, hæc quia conica est, eō  
magis gracilescit & attenuatur, quo altius  
versus cœlum attollitur, donec in mucro-  
nem deficiat (Notandum si æquale sit luci-  
do corpus opacum, umbram de se spargens,  
κυλινδρικῆς columnaris sit umbra: si minus  
sit lucido, κυνοειδῆς, ut habet Vitell. lib. 2.  
pag. 28.) Quo humilior ergo luna incedit,  
eō crassiorem umbræ partem perambulat,

diutiusq; durat eclipsis: Quo remotior à terrâ est, eo tenuorem umbræ partem pertransit, & sic citius evanescit eclipsis. 3. Inequalis Solis à terrâ distantia, quæ variat umbræ terrenæ crassitatem, at de hoc sup. Memb. 2. §. 3. 4. Luna à Sole digressio vel in-  
equalis; Luna enim velox abbreviat tempus durationis, tarda id diutiùs protrahit.

§. iv. Æstimatur eclipses Lunæ magnitudo digitis, qualium diameter Lunæ 12. habere intelligitur, in totali autem, quæ cum morà est, umbræ terrenæ tanta datur spissitudo in loco transitus lunæ ut si corpus ejus 22. tales digitos exæquaret, quales 12. saltem obtinet, totum tamen umbrâ sepe liretur. Partialis lunæ Eclipsis semper est pauciorum digitorum quam 12. Hæc in a-  
jor, quò plures: & minor, quò pauciores digitii infra 12. obscurantur.


§. v. Motu proprio Luna ab occasu in ortum progreditur; umbra vero terræ in occasum ab ortu, principium ergo eclipses lunæ sit à parte ejus orientali, quâ & primò ei lumen restituitur. In partialibus eclipsibus, si latitudo lunæ est borealis, deficit pars ejus meridionalis; si latitudo au-  
stral is sit, defectus est in parte boreali;

§. vi. Liceat Lunæ defectus eodem mo-  
mento temporis eademq; quantitate ab o-  
mnibus conspicitur, supra quorum hori-

ponem Luna orta est. Numerus tamen temporis hujus diversus est propter meridianorum & horizontum varietatem, ob quam orientales quam occidentales semper plus numerant. Sic hi numerarent horam noctis 1. dum illi numerent 2. si illis Sol citius unâ horâ oritur & occidit, quam his.

Coronidis loco placet apponere hypotyposin hanc Eclipseos solis lunaeq; quam maxima ex parte quasi delineat hactenus dicta.

In hoc Schemate ab Accetro telluris ductus circulus prior viam Solis seu eclipticam notat, alter vero G. orbitam Junz representat reflexam in latitudinem utrimq; ab Ecliptica. Puncta intersectionum circuli sunt D



¶ & C. Solis centrum ponitur E & ductis  
lineis orbem telluris tangentibus N Q. &  
P Q patet eas in Q punto concurrete ac  
umbram terræ in coni formam desinere.  
Proinde Luna sua celeritate cursum Solis  
umbræq; multum superans cum dictam um-  
bram penes C nodum, ubi amplior est quam  
lunæ diameter, transeat, totalem ejus eclipsin  
& quidem cum mora fieri necesse est. Quia  
projectio umbræ centrum terræ A pro suo  
meditullio respicit, veri ergo luminis cursus  
non autem visi ratio habenda est, hic enim  
superficiem & locum obseruantis: ille vero  
centrum terræ unicè respicit. Typum E-  
clipseos Solis contemplari licet circa nodum  
alcentem. ¶, ubi è centro terræ corpus lu-  
næ D soli ita opponitur ut totus, inde ob-  
servanti revera occultari intelligatur, h. e.  
spatium totum intra P. & N. in diametro  
Solis. Hoc deliquum relatum ad superficiem  
terræ B. in Solis fere semidiametro M.  
N. definitur, ductis a. B. Lineis corpus Lu-  
næ tangentibus B. M. & B. H. Licet ij, qui  
solem in vertice possident, defectum solis ple-  
num sentiunt, variè tamen ob Lunæ para-  
laxin haec solis defectiones conspicuntur, di-  
versoquoq; momento temporis accidunt ijs,  
qui ex superficie terræ in alijs atq; alijs locis  
illas obseruant. In toto reliquo tractu ut in  
G sicut ibi nulla sit ♂ & ♀, ita nulla ecli-  
psis.

psis. Hæc ita de Eclipsibus scripta pro ins-  
tituti ac temporis ratione sufficiant, accura-  
tiori omnium momentorum observatione,  
quæ potissimum calculo perficitur, jam o-  
missa relictæq; ijs, qui artem astronomicam  
ex professo callere habent necesse. Dic me-  
cum L. Benevolæ,

*Cunctorum Creatori sit Gloria.*

---

*Zητήματα παρεργώς adjecta.*

I. Siderum cœlestium virtus in hæc inferio-  
ra, licet magna & admiranda sit, adeo ut in-  
res sublunares ferè omnes agant; non tamen  
habent in voluntatem hominis tale imperi-  
um, ut has vel illas ejus actiones neceſſariq;  
determinent.

II. Liber & naturalis est Stellarum motus à  
principio interno non externo proveniens; Nō  
datur ergo aliquid tale primum mobile seu  
supremus orbis vi rapiens inferiores orbes  
cæteros, siquidem stelle libere in cælo pro-  
prio motu progrediuntur.

III. Maculae in lunâ conspicuae sunt ob diver-  
sam partium ejus constitutionem; hanc enim  
diversa luminis Solaris sequitur receptio,  
adeo ut pars densior plus luminis, pars ra-  
zier minus nobis obferat.

IV. Tempore matutino Sol major plerumq;  
apparet quam meridiano; At nunquam re-  
vera ita est. Causa est medi⁹ diversitas, ob  
hoc enim crepusculo matutino propter vapo-

*ges erassis major & propior videtur Sol.*

*V. Eclipsis Solis, quæ contigerat moriente servatore, naturalis non fuit.*

*VI. Luna nunquam magis quam in novilu-  
nio illuminatur & nunc primo & die nunc se-  
cundo, tertio & quarto demum videri potest.*

*Ad*

Juvenem Doctrinā ac Humanitatē  
*Præstantiss. Dn. JONAM PETREJUM,*  
pro Magisterij Philosophici Gradu, inge-  
niosē & solerter, de Eclipsibus differenter,

*τερσφώνησις ἀνακρεοτίζομένη.*

<i>Ingenium laborum</i> ,	<i>Vitæq; tristioris,</i>
<i>Merce de gloriari,</i>	<i>Res prona ponderanti,</i>
<i>Victorizq; latz</i>	<i>In luminosa cæli</i>
<i>Gaudere competitio</i>	<i>Excelsioris auræ</i>
<i>A pluribus triumpho;</i>	<i>Tendens remotiora,</i>
<i>Est aestimationis</i>	<i>Et cæruli theatri</i>
<i>Solenne dignoris,</i>	<i>Amæniora tempe;</i>
<i>Felicitas superna</i>	<i>Caliginosa spernit</i>
<i>Genij benignioris.</i>	<i>Glebæ fugacioris,</i>
<i>Illustriore censu,</i>	<i>Glebæ lutosioris,</i>
<i>Victoriosa Pallas</i>	<i>Musis sacratus ardor.</i>
<i>Et cultior Minerva,</i>	<i>Haud interest, Diana</i>
<i>Quos pulvis eruditus,</i>	<i>Phœbive metiaris</i>
<i>Quos elegantiores</i>	<i>Orbes statosq; cursus;</i>
<i>Musæ decenter ornant,</i>	<i>Seu, lampadum tenore,</i>
<i>(Quos largioris undæ</i>	<i>Perennis instar ignis,</i>
<i>Aspergit Hippocrenes</i>	<i>Splendentiam globorum,</i>
<i>Celestius Fluentum)</i>	<i>Vel influentiarum,</i>
<i>Est sueta collocare;</i>	<i>Vires vicesq; miras,</i>
<i>Et præmijs beare</i>	<i>Obtutui sagaci</i>
<i>Cura molestioris,</i>	<i>Siftas nec otiosus;</i>

*Vic*

*Nee*

Nec fastiosos unquam,  
Eclipsum figuras,  
Aut certiora puncta,  
Pariter statos recursus;  
Effectuumq; vires,  
Scrutariet labores.  
**P**ETR E JUS ergo Nos sit Palladis theatro  
Genio faventiore, Curā valentiore,  
Eclipsum recursus  
Viresq; subpāvendas;  
Examini sagaci  
Dum lance ponderārat;  
Sic creditur nefandos  
Morsus maligniorum  
Pessum dedisse vīctor:  
(ter, Pergnarus intulisse,  
Insignium laborum  
Insigne glōriosum,  
Via Insigne post futuris.

*Adiecta auctorāxēdiasì L. Mag*

ā

**P**ETRO LAURBECCHIO  
Poësios Professore Ordinario.

**Q**uanquam abunde sciam supervacaneum  
esse quidquam addere præter vota, que jure  
quodam efflagitat firma illa inter nos usq;  
ab illo tempore, quo primum nosci potuimus  
ad hanc etatem continuata familiaritas:  
Modestia tamen tua ac singularis eruditio,  
quam ex parte nobilissime hujus materia  
inventio laud dubie declarat, quedam me  
apponere monent. De priori illâ nūnc non  
loquor multa, quantum enim ab omni am-  
bitione tuus abhorruerat animus, iij scire  
possunt, qui te tuaq; norunt. De posteriori  
hoc sufficiat dixisse illam & principum curiosi-  
tatem & Regum curam & sapientum studia  
meruisse, olim hodieq; non autem illis illa

via, quā decurrent subtilitatum Magistri,  
verbosi, intempestivi, sibi placentes, sed  
pulchro spectaculo & accuratiore studio in-  
quisiverunt, quis mundum hunc condidit,  
quæ mira in aere, tonitru, fulmen, venti,  
vel quæ alia habeant naturæ superbientis  
spectacula, scil. ipse animus novitate rerum  
letissimus in corpore hoc velut in custodia  
premitur, nisi contemplatio accedit, quæ il-  
lum respirare juber rerum naturæ spectaculo  
Et à terrenis dimitat ad divina: hæc li-  
bertas ejus est, subducit se custodie & celo  
reficitur. Quid multis moror? Tu nunc  
multa pro ratione instituti de Eclipseos na-  
turæ præclarè enarras breviter, multa insi-  
nuas, multa quoq; forsitan supponis deductæ  
e scriptis & observationibus clarorum viro-  
rum, quæ circa opinionum diversitatem oe-  
currunt ambages quid statuendum pro opti-  
mo fatis apre scribis. Hac vice non addo  
plura, tantum dico, bene cupit tibi evenire  
omnia.

Tuus,

D. ACHRELIUS

---

Præstantissime Dn. CANDIDATE,

Quum hoc tempore nihil possum amplius  
efficere, quod tibi accepium fore, & mihi  
imputareretur in solutum, quām si plurimum  
studi conferam erga te, qui recto cursu &

magni-

magno animo adsurgis in omnem laudem;  
ut meritò sis bonorum amore dignissimus;  
mearum itaq; partium erit, *praetaris tu-*  
*is conatibus* applaudere; quin imò etiam  
gratulationem meam & gaudium animo  
conceptum prodere hisce lincolis, quo ni-  
hil libentius animoq; jucundiori facio. Ult-  
ut nupera inter nos notitia hæc admodum  
sit, singularis tamen tua *Probitas*, quæ in  
vultu elucet, eruditioq; in sermonibus ni-  
rifice me *tibi* conciliarunt effeceruntq; ut  
laudatissimo tuo proposito vorum felix ad-  
derem. Non certè potuisti, meliori duci  
consilio, quam animum applicare tuum ad  
literarum delicias. Quæ enim compendi-  
osior unquam via ad honores quam literæ!  
quæ obscuros & humili loco natos nobili-  
tant; & in famæ theatrum producant! illæ  
contemptos ante & abjectos ad summas di-  
gnitates evehunt. Sic nunc tandem ab an-  
gustis ut dici solet, ad augusta, transitum  
fecisti, laboreq; tuo improbo id es conse-  
cutus & eò nunc evasisti, ut brevi *honores*  
*Magisterij* adire possis. Precor itaq; ut Deus  
*tibi* plura usq; donet, quô Patri tuo senio  
jam confecto solatio sis, qui haud parum  
lætitiae tuae ex diligentia concipit. Perge tuus  
in studiis ut ampliorem honorem ab hoc honore nan-  
ciscaris: Succedat cursus studiorum tuorum, vergatq;  
in Dei gloriam, bonum publicum, tuorum solatium ac  
intuam commendationem Vale,!

CAROLUS GLANUS.

רְלֹאָן

M. R. V. 5651